Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Thesaurus armorum spiritualium ultimo mortis conflictui comparatus et collectus - Cod. Donaueschingen 352

Villingen, Benediktinerkloster St. Georgen im Schwarzwald, 1733

Zweite Vorrede

urn:nbn:de:bsz:31-93309

Visual Library

Breves Exhortatiunculæ imminente morte apud infirmos uſurpandæ.

Chariſſime Frater, cum vita
tua, Deo ſic diſponente,
propiùs ſemper ad mortis metã
decurrere videatur, ſeria
mente, et animô in Divinam
voluntatem optimè reſignatô
conſidera, omnibus, cuius=
cunq; ſint ſtatûs et conditio=
nis, conſtitutum eſſe ſemel
mori, alijs tardiùs citiùs
alijs: ſecundum curſum Du=
rationis, quem à Deo acce=

perunt. Cuius potentissimæ manui
omnes sumus subditi, ut Na=
turæ debitum solvamus, cum
Domino Deo nostro visum fuerit
qui in hoc Mundo commorandi
nobis tantum diversorium dedit
non habitandi. Non est ergò, cur
vitam istam tantô studiô de=
sideres, in qua sæpè, quantò
diutius vivitur, tantò culpa
est maior; quotidiè enim
crescunt mala, et subtrahuntur
bona. Itaqȝ tibi potius est
gaudendum, quòd per hanc
mortem ex vita hac tempo=
rali et misera ad vitam

æternam beatámq; commigres.

Agnoſce Chariſsime Frater cum gratiarum actione beneficia in te à Deo collata: quod tibi hactenus, etiam in hac extrema vitæ tuæ periodo ſui cognitionem benignè indulſerit: quòd morte repentinâ te opprimi noluerit: quòd te Creaturam ſuam per Orthodoxæ fidei Religionem ad coeleſtem hæreditatem miſericorditer vocaverit: De his, et alijs innumeris beneficijs Domino Deo noſtro gratiam

habe, ad inexhauſtam eius miſericordiam confugiens, et de peccatis tuis veniam humiliter poſtulans.

Conſidera Frater Chariſsime quod Deus Pater Filium ſuum Dilectum, inſontem et innoxium in quo ſibi benè complacuit, pro nobis miſeris peccatoribus tot, et tantas tribulationes ſuſtinere voluerit: Unde, cùm in vita tua Curſu multa peccata, eáq3 graviſsima commiſeris, pro quibus poenas his longè acerbiores comme=

ruiſti: huius morbi, et mortis
dolorem patienter tolerare non
renitere: Deum humiliter
rogans, ut præſens dolor tibi
valeat ad peccatorum tuorum
remiſſionem, et purgatorij hor=
ribiles cruciatus in iſtam afflictio=
nem tuam, per ſuam Mi=
ſericordiam commutet, et pro
poenis futuris det tribulatio=
nes præſentes, quæ nullæ ſunt
ad futuras. Quod ſi con=
tritô corde petieris: poenam
neceſſariam tanquam volunta=
riam feres, et purgatorium

tuum faciet hic in Mundo, videlicet has poenas aliaquin necessarias, et quas nullâ ratione posses evitare, pro peccatis tuis solvendo.

Patienter mortem toleraverunt Christus et Martyres. Quidquid in carne toleras, levius esse credas, eorum tormentis. Velis, nolis, morieris.

Fac igitur de necessitate virtutem, ut, dum tributum

Naturæ persolvis, apud
Deum inveniàs
Meritum.